Zu den

öffentlichen Prüfungen

der Schüler

des

K. Gymnasiums zu Kreuznach

am 28. und 29. August 1845.

ladet

alle Gönner und Freunde desselben,

insbesondere

die Eltern der Schüler, die Königlichen und Städtischen Behörden,
sowie die Herren Geistlichen der Stadt und Umgegend,

hochachtungsvoll und ergebenst ein

der Director des Gymnasiums,

Prof. Dr. Moritz Axt.

Inhalt:

1.) Loci aliquot in Taciti Agricola a Raimundo Seyfferto emendati et illustrati.
2.) Schulnachrichten, vom Director.

Kreuznach, 1845.
Druck und Papier von L. A. Pütz.

LOCI ALIQUOT

in

Taciti Agricola

a R. Seyfferto

emendati et illustrati.

Delegatae mihi curae ut primordium libelli de statu atque rationibus scholae nostrae brevi disputatione de loco quodam antiquitatis auspicarer, ita satisfacere destinavi ut Calgaci Britannorum ducis orationem, quae in Taciti Agricola c. 30 — 32 legitur, emendatam et longis atque insuavibus grammaticorum controversiis exoneratam praestarem. tres potissimum sententiae per incuriam temporum gravius afflictae remorantur animum ab admiratione proximorum ad ulteriora properantem. mendosus et quartus locus, sed quum initium unde orta depravatio saepius inter causas turbarum per Agricolae libros recurrat, ex ipsa autem erroris frequentia singulis locis demonstrata immane quantum fidei errori accrescat, haec verba in praesens omisi, alterum emendationum Tacitearum fasciculum*) propediem editurus, quo quid validum invalidumve in hoc clarissimi ingenii monumento in disceptationem vocavi.

c. 30. *Priores pugnae, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant, quia nobilissimi totius Britanniae, eoque in ipsis penetralibus siti nec servientium littora aspicientes, oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus. nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hanc diem defendit. nunc terminus Britanniae patet. atque omne ignotum pro magnifico est. sed nulla jam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa, et infestiores Romani; quorum superbiam frustra per obsequium et modestam effugeris.*

Et critici et explanatoris cura transcriptus locus eget, nam neque sana a prioribus recte intellecta et corrupta pro integris habita. initium

*) Emendationes Taciteae. Fasciculus primus. Annales. scripsit R. Seyffertus. Typis et impensis G. Reimeri. MDCCCXLIII.

molestiarum ex *sinu famae*, ambiguis verbis et duplici sensui obnoxiis. quippe aut sinus intelligendus, in quem fama recesserit, aut quo ipsa velut toga induta utatur. quis autem iste sinus, qui ex mortalium notitia recedentem exceperit? *sinum orae habitabilis* subdit Gronovius. at nulla orae significatio verbis inest. et plane diversus *sinus imperii*, quem ex Germ. 29. affert, ut et *Germaniae sinus*, qui Germ. 37. commemoratur. quippe imperium et Germania immensa terrarum spatia, si sinus efficiunt, terrestres sinus efficiunt. quod diversum in fama, cui nec vis nec figura tale quid exhibendi. quodsi dubius haereas, permuta sinum cum fronte et ommis dubitatio tolletur. *eaque*, Tacitus ait Germ. 42, *Germaniae velut frons est, quatenus Danubio praetexitur*: nec sensus obscurus. Marcomani Quadique intelliguntur et si qui alii proximi ripae Romanae agebant. iam *frontem famae* ad similitudinem *frontis Germaniae* finge, num ulla locorum significatio restat? an exoritur si quem ex istis populis ita loquentem feceris: *nos ripa ipsa ac frons famae Romanorum incursionibus in hanc diem obiectavit?* Quod autem de fronte valet, valet et de sinu, et ut frons famae frontem Germaniae significare nequit, ita nec sinus famae de sinu Caledoniae accipi potest. latebrae famae seu penetralia famae ad Gronovii mentem accederent. nam his vocibus certa loca significantur. sinus et frontis significatio varia et ex natura rei aut personae, cui tribuuntur accuratius definienda. quare si *recessus ipse sinus famae* scriptum esset, sinus recessui appositus hinc intellectum acciperet. inserto autem ac, et sinu a recessu divulso, una fama relinquitur cuius, sinus sit et cuius figura efficiatur. vexavit verborum significatus Gronovius ut hanc sententiam compararet: *occulti et vix fama noti Romanorum avaritiam et ambitionem in hanc diem effugimus.* sed quomodo occulta Caledoniorum nomen atque virtutem Calgacus vocare potest, qui modo: *priores pugnas spem ac subsidium in ipsorum manibus habuisse*, gloriatus est. et proximo ante anno Romani Bodotriam transgressi non modo nuntiis ac fama, cf. c. 25: *ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi, paratu magno, maiore fama*, sed manibus atque congressu istarum gentium

vires experti erant. cf. c. 26: *quod ubi cognitum hosti, mutato repente consilio universi nonam legionem ut maxime invalidam nocte adgressi.* repugnat ergo verborum intellectui pariter ac rerum fidei Gronovii interpretatio. Alteram viam ingressus est Lipsius. *sinum famae* de *gremio famae* accipit ea vi ut *Caledonios Romanorum notitiae surripuerit.* reiiciendam esse hanc sententiam, vel si verba eo ducere viderentur, patet ex iis quae Gronovio opposuimus. sed tantum abest ut sinus famae celet et abscondat, ut hoc excepti in sumam potius celebritatem ac frequentiam hominum producantur. nam in sinu utpote tutissima corporis parte ea collocare solemus quae pro viribus nostris tutemur ac foveamus. iam famae omnis vis in celebrando: secreti nihil admixtum. ut fortitudini nihil cum ignavia: contactu ipso periret. proinde qui in sinu famae versantur ut proximi famae remotissimi ab omni obscuritate sunt. et famae effugium nonnisi in secreto ac sinu ignorationis. itaque probandi ii qui nullum alium sensum obscuris verbis subiici posse contendunt quam gloriam gentis in sinu famae nutritae. falsa autem spes ac praeposterum gaudium tanquam hac lite diiudicata etiam sententia loci ad liquidum perducta sit. hercle non tam recondita haec sinus significatio ut clarissimos duumviros fugerit. prima se obtulerit necesse est. sed spreverunt nec levem ob causam. similes enim ac finitimae res per copulam *ac* coniungi solent. itaque quum recessu locorum situs indicetur, Gronovius sinum in eundem sensum interpretatus est. et quia quae in recessu posita sunt rumoribus subducta multitudinem latent, Lipsius neglecta fama ex sinu occultandi potestatem arripuit. erraverunt uterque: sed observatio et lex, unde egressi sunt, vera et immutabilis est. aperte autem violatur ab iis qui commemorationem gloriae sententiae immiscent. namque recessus diversus a longinquitate, finitimus secreto et solitudini, ut ipse occultus est, ita et alios occultat. contra fama a celebritate non seiungenda. et gremium famae celebritatis fecundissimum solum. contraria autem et opposita inter se se invicem repellunt. et secretum celebritatem, obscurum et ignotum nomen illustrem et famigeratam virtutem non minus fugit quam nox lucem

aut frigus solis vapores. attamen concurrere in eadem opera et sociatis viribus periculum a Caledoniis propellere temere fingunt. quae Taciti mens fuerit aliquatenus coniici licet ex verbis infra scriptis c. 31: *et longinquitas ac secretum ipsum quo tutius, eo suspectius*, quibus aperte ad nostrum locum respicitur. namque ut *tutius* idem ac *defendit*, ita *longinquitas ac secretum, recessum ac sinum* in animum revocant. firmatur hinc suspicio Gronovium et Lipsium innixos vulgari voculae *ac* potestate, si in universum aestimandum sit, rectius de sententia loci iudicasse quam ipsorum obtrectatores, quibus ne haec quidem laus concedenda quod melius integritati sermonis consuluerint. nam gremium famae excipit et detinet: exceptos defendere non gremii sed ipsius famae est. an Romana eloquentia imbutum diceres ducem Alpinae gentis in hunc modum concionatum: *nos iuga ipsa ac sinus virtutis in hanc diem defendit?* equidem corrigerem *ac virtus in cuius sinu gremioque educati sumus*, nec nisi exemplorum documentis convictus sententiam mutarem. nullam interpretandi viam intentatam reliquimus, nisi somnia ac nugas hoc vocabulo ornanda putes. frustratis undique una spes in emendandi acumine superest. nec dubium quo potissimum mentis aciem dirigamus. nam quum sinus recessui finitimus sit, contra aliena ac plane contraria fama, sententiae autem fides salva esse non possit, nisi alterum incisum alteri simile reddatur, sinus suspicione vacat, et vitium in fama esse oportet. emendo:

> *nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus fani in hanc diem defendit.*

Quaeris quod fanum et ubi situm? nimirum libertatis fanum ambitu latissimo. nam Britanniae olim invictae fines et fani libertatis Britannicae termini, seu revera maiorum flagrantissimum libertatis studium sacraverat, seu finxit Calgacus ad acuendos in pugnam animos splendida et grandi oratione usus. et quia non certam aedem sed universam insulam dicatam iactat, *fanum* dicit

non *templum*. nam *fanum* appellatur quivis locus diis sacer. declarant verba Livii 10, 37: *inque ea pugnu Jovis Statoris aedem votam, ut Romulus ante voverat: sed fanum tantum, id est locus templo effatus, sacratus fuerat.* inhabitare autem deos certa loca, etiamsi nulla ibi templa velut in custodiam libere vagantium exstructa essent, non soli Caledonii arbitrabantur: eandem veterum Germanorum persuasionem fuisse testificatur Tacitus Germ. c. 9: *ceterum nec cohibere parietibus deos neque in ullam humani oris speciem assimulare ex magnitudine coelestium arbitrantur. lucos ac nemora consecrant, deorumque nominibus appellant secretum illud quod sola reverentia vident.* Et Germ. c. 39: *stato tempore in silvam auguriis patrum et prisca formidine sacram omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coeunt.* aperit fontem superstitionis Seneca ep. 41: *si tibi occurrit vetustis arboribus et solitam altitudinem egressis frequens lucus, illa proceritas silvae et secretum loci et admiratio umbrae fidem numinis facit.* iam *sinus* fani in Calcedonia. firmamentum fidei situs terrae et gentis antiquitas, fortuna, robur. *nobilissimi totius Britanniae* vocantur, ut semnones Germ. c. 39: *vetustissimos se nobilissimosque Suevorum memorant.* et ut his *fides antiquitatis religione firmabatur, proxima silva prisca formidine sacra, tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera subiecta atque parentia,* ita Calcedonii *in ipsis penetralibus* Britanniae siti. potuit scriptor et verbo *seeretiora* uti, quod Germ. c. 41. de ultimis Suevorum populis posuit. *et haec quidem pars Suevorum in secretiora Germaniae porrigitur. penetralia* hoc loco maluit ut sibi transitum ad fanum pararet. nam *penetrale*, ut Servius ad A. 7, 59. ait, pars interior domus aut templi. cf. Germ. c. 40: *is adesse penetrali* (casti nemoris in insula Oceani) *deam intelligit.* et imaginem fani scriptoris oculis atque animo obversatam esse ostendunt sequentia: *nec servientium littora aspicientes oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus.* minore cura habiti reliqui Britanni. cf. c. 10: *Gallis in meridiem etiam inspicitur* (Britannia); *septentrionalia ejus, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur.* Caledonii

ut res sacra et inviolabilis penetralibus fani custoditi. cf. de Germanorum sacris equis Germ. c. 10: *publice aluntur iisdem nemoribus ac lucis candidi et nullo mortali opere contacti.* nec vacua hoc superstitionis colore verba c. 31 extr.: *primo statim congressu non ostendamus quos sibi Caledonia viros seposuerit?* nam Masurio Sabino teste apud Gellium 4, 9: *religiosum est quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum a nobis est.* itaque sententia *nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus fani — defendit* artissime cum prioribus cohaeret, et ut inde lumen accipit ita et dat. in ipso autem sententiae circuitu et per singula incisa nunc demum ordo atque concinnitas. fortuita et libidinosa antea videbatur distinctio *extremorum terrarum ac libertatis.* patet scriptoris ars atque consilium reducto *fano.* nam sicut *recessus* ad *terrarum extremos* spectat, ita *sinus fani* extollit et interpretatur *extremos libertatis:* utrique autem vocabulo *defendit* probe attribuitur. similiter situs et numen copulata in Cremonae excidio H. 3, 34: *cum omnia sacra profanaque in igne considerent, solum Mephitis templum stetit ante moenia, loco seu numine defensum.* adjuvat emendationem nostram etiam locus supra laudatus c. 31: *et longinquitas ac secretum ipsum quo tutius, eo suspectius.* nam sententia eadem, sola verba mutata pro consilii diversitate. abiit omnis religionis horror et vulgare secretum remansit, quia quid Romani imperitantes de Caledonia aliquando iudicaturi sint quaeritur, non quid superstitio gentilis credat seu credere simulet. Ipse denique Agricola hoc secretum tangit invidiosa voce c. 33: *veniunt e latebris suis extrusi.* sic Tacitus admirabili arte secretum Caledoniae mox in sanctitatem fani libertatis auxit, quo Caledoniorum arrogantia cognosceretur, mox ex superbia Romana depressit atque foedissimis latronum et ferarum latebris assimulavit. de vitio scripturae vix est quod dicam. abiit *fani* in *fam* facillimo errore. quae litterae sensus expertes mox necessitatem corrigendi attulere. prona autem suspicione solam terminationem vocabuli omissam, reliquis litteris integris, proclivior erat mutatio in *famam* quam vetus *fanum.*

Hac emendatione perpetrata et aperta sequentia: *nunc terminus Britanniae patet. atque omne ignotum pro magnifico est. sed nulla iam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa, et infestiores Romani.* magnae priorum angustiae: mirae inscitiae excusationes atque velamenta. sunt qui verba *atque omne ignotum pro magnifico est* prorsus delenda censeant. alii post *defendit* transponunt. pars modestior *atque* in *atqui* mutatum volunt. nihil mutandum clamant recentissimi grammatici. barbarum ducem antiquae simplicitatis retinentem ingenue fateri, magna quidem atque praeclara de Caledoniorum fortitudine famam olim vulgasse, sed instare iam diem quo experimento ipso armorumque certamine mendacii convinceretur. discordiae et rixae hactenus. de reliquis verbis *sed nulla — et infestiores Romani*, quod quidem ad sensum attinet, consensus atque securitas. dicere Calgacum, neque perfugium neque alieni auxilii spem superesse Caledoniis: proinde armis et virtute salutem et incolumitatem quaererent at eadem sententia iam iis verbis inest quae principio orationis legimus: *nam et universi servitutis expertes, et nullae ultra terrae, ac ne mare quidem securum imminente nobis classe Romana. ita praelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt.* quare si Tacitus, inter cuius praecipuas virtutes a peritis vigor ingenii et meditatus stilus maxime celebrantur, denuo desertam terram et infestum mare affert, id alio consilio et in novam sententiam fecerit necesse est. quae ne inveniretur obstabat inprimis sinus famae, ad quem verba *atque omne — magnifico est* spectare videbantur, licet nullo modo cum eo convenirent. mutata *fama* in *fanum* aptus et planus sententiarum ordo evadit. enimvero omne secretum horroris plenum, nec eine exspectatione novi aliquid et adhuc incogniti inveniendi aditur. iam Caledonia extrema terrarum et inaccesso Oceano ambita hac secreti natura utitur. hinc fides fani quod a libertate inhabitatum Caledonii gloriabantur. hinc Romanorum quoque cupido hunc terrarum tractum adeundi. transgreditur autem oratio a Caledoniis ad Romanos, et ab illorum superstitione ad horum exspectationem a verbis *nunc terminus Britanniae patet.* nam *terminus Britanniae* Romanum

nomen quo extrema Caledonia apud legiones appellabatur. cf. c. 27: *cuius constantia ac fama ferox exercitus nihil virtuti suae invium, penetrandam Caledoniam inveniendumque tandem Britanniae terminum continuo praeliorum cursu fremebant.* terminus autem Britanniae Romanis pro fine naturae. ostendunt verba Agricolae c. 33 extr.: *nec inglorium fuerit in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse.* quare Calgaci sentiam, adhibitis exemplis quae in Taciti monumentis et apud alios scriptores reperiuntur, in hunc modum illustraveris. Romanas legiones, postquam perventum ad Grampium montem, nec pericula nec sanguinis damnum morabitur quominus terminum Britanniae inveniant. fortes aeque et ignavos impellunt avidae spes et animus miraculis intentus. quippe omne ignotum pro magnifico est. extollit fama quae vera sunt in maius verisque falsa admiscet secura de facilitate credentium. cf. c. 25: *ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi, paratu magno, maiore fama, uti mos est de ignotis.* maxime autem abditi et quasi a deo ipso reconditi fines naturae. ideo ultima orbis terrarum semper largissimam fabulis materiam praebuere, et gloriae cumulus vel invitis diis vestigia eo tulisse. cf. Ped. Albinov. 20: *dii revocant rerumque vetant cognoscere finem.* Flor. 2, 17: *non prius signa convertit quam cadentem in maria solem obrutumque aquis ignem non sine quodam sacrilegii metu et horrore deprehendit.* His vanitatis illecebris et nunc Agricolae miles captus instigatusque. Sed nec fecunda nemora lucique itinere fessos recreabunt. cf. Germ. 45: *fecundiora igitur nemora lucosque, sicut Orientis secretis, ubi tura balsamaque sudantur, ita Occidentis insulis terrisque inesse crediderim.* nec fruentur Herculis columnarum spectaculo, aut insolitis avium beluarumque formis. cf. Germ. 34: *ipsum quin etiam Oceanum illa tentavimus. et superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit, sive adiit Hercules, seu quidquid ubique magnificum est, in claritatem eius referre consensimus. nec defuit audentia Druso Germanico: sed obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri. mox nemo tentavit, sanctiusque ac reverentius visum de actis deorum credere quam scire.* Ann. 2, 24: *multos Angrivarii*

nuper in fidem accepti redemptos ab interioribus reddidere; quidam in Britanniam rapti, et remissi a regulis. ut quis ex longinquo revenerat, miracula narrabant, vim turbinum et inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum et beluarum formas, visa sive ex metu credita. insulam esse Britanniam comperient. cf. Agr. c. 10: *hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta insulam esse Britanniam affirmavit.* nec ullis humani cultus vestigiis nihil attonitorum et solatium circumspectantium oculis obviam obiicietur, nisi saevi fluctus et horrida saxa et Romani praemissa classe advecti, qui ipsam maris saevitiam desertorumque atrocitatem ferocia morum superant. cf. c. 29: *igitur praemissa classe, quae pluribus locis praedata magnum et incertum terrorem faceret.* c. 30: *ac ne mare quidem securum imminente nobis classe Romana.* eodem cap.: *postquam cuncta vastantibus defuere terrae, et mare scrutantur.* c. 38 extr.: *praefecto classis circumvehi Britanniam praecepit. — ipse peditem atque equites — in hibernis locavit. et simul classis secunda tempestate ac fama Trutulensem portum tenuit.* quare ne speretis, vos Agricolam voluntaria deditione promissoque in posterum obsequio (c. 30: *per obsequium et modestiam.* et c. 31: *ita sublata spe veniae.*) flexuros esse, ut recedat ex terra quam parca non magnifica manu dii exornarunt. cf. c. 31: *neque enim arva nobis aut metalla aut portus sunt, quibus exercendis reservemur.* Romani c. 30: *si locuples hostis est, avari, si pauper, ambitiosi, soli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiscunt.*

c. 31. *Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit: hi per delectus alibi servituri auferuntur. coniuges sororesque etsi hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hospitum polluuntur. bona fortunasque in tributum egerunt, annos in frumentum. corpora ipsa ac manus silvis ac paludibus emuniendis, verbera inter ac contumelias, conterunt.*

Veteres libri habent *bona fortunae quae in tributum agerat annus: in frumentum.* Quae Rhenanus in hunc modum correxit: *bona fortunasque in tributum egerunt, in annonam frumentum.* Placuit plerisque emendatio, nisi quod extremis verbis pronius videbatur cum Walchio *annos in frumentum* scribere. ne ipse quoque calculum adiiciam haec potissimum obstant. legitur quidem verbum *egerere* et apud Tacitum et apud alios scriptores de praedam avehentibus, sed addito loco ex quo praeda egeritur. H. 3, 33: *faces in manibus, quas, ubi praedam egesserant, in vacuas domos et inania templa per lasciviam iaculabantur.* Ann. 15, 45: *spoliatis in urbe templis egestoque auro quod triumphis quod votis omnis populi Romani aetas — sacraverat.* Liv. 6, 3: *victorem vagum invenit, praedam ex hostium tectis egerentem.* nec inanis cura et supervacua loci commemoratio. flagitat *ex* praepositio. quare quum hoc loco nullum vocabulum sit, quo istud *ex* referatur, aliud potius verbum, sola privandi vi, qualia sunt auferre, trahere, rapere, ponendum erat. nam quod *egerere* idem valere aiunt quod *consumere*, *ad nihilum redigere*, id et a Taciti usu alienum, nec quisquam integro iudicio *egerunt* immixtum gravissimis verbis *auferuntur*, *polluuntur*, *conterunt* in alium sensum quam principalem traxerit, quo ut illa verba manus apertamque vim significat. porro vitiosum esse alterum sententiae membrum *annos in frumentum* firmo. nam ut *annus* vi annui agrorum proventus poëtarum audaciae conveniat, vetita talis licentia in prosa oratione, nisi molliatur adiecta agrorum fecunditatisve commemoratione. afferunt quidem locum ex Taciti Germ. c. 14. allata verba contra ipsos valent. sunt enim haec: *nec arara terram aut exspectare annum tam facile persuaseris, quam vocare hostes et vulnera mereri.* quare quomodo *annos et proventum* nihil offensionis haberet, celeberrima dicendi figura quam ἐν διὰ δυοῖν vocant, sic *annos in frumentum egerunt* obscure insolenterque dictum. post Rhenanum plures, sed non meliore fortuna usi, in emendando loco elaborarunt. attamen medela in proximo sita. corrige:

bona fortunaeque in tributum, ager et annus in frumentum.

Mutatio veteris scripturae lenissima: mutatae unius litterae fructus clarus et apertus. nam *annus*, qui vocabulo egebat quo ad annonam traheretur, comitem *agrum* accepit. quo accepto simul et fractae orationi numerus et concinnitas reddita, bonis fortunisque et agro annoque sibi in utroque membro apte et venuste respondentibus. verbo autem, quod depravato *agerat* inducti quaesiverunt, non opus est. locum eius tenet *in* praepositio, qua motus satis indicatur. simile talis brevitatis exemplum habes c. 33: *nam ut superasse tantum itineris — pulchrum ac decorum in frontem*, ubi *conversis* omissum est, ut sequentia declarant: *ita fugientibus* e. q. s. pari vi, sed in diversum motum praedita *a* praeposito Ann. 14, 8: *magis ac magis anxia Agrippina, quod nemo a filio ac ne Agerinus quidem*, scilicet *veniret*. contra dubiae apud me fidei locus Ann. 4, 57: *inter quae diu meditato prolatoque saepius consilio, tandem Caesar in Campaniam, specie dedicandi templa apud Capuam Jovi, apud Nolam Augusto. sed certus procul urbe degere.* de vitio scripturae plura notavi ad Ann. 3, 37. quibus addas ex Agricolae libris. c. 17. *locorumque — locorum quoque.* c. 35. *agmine quo — agmen in aequo.* c. 36. *foede recti tractis — foedare et stratis.* c. 46. *temporalibus — et immortalibus.*

c. 31. *Brigantes femina duce exurere coloniam, expugnare castra, ac nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere iugum potuere: nos integri et indomiti, et libertatem non in praesentia laturi, primo statim congressu non ostendamus quos sibi Caledonia viros seposuerit?*

Simulacrum medelae a Rhenano usurpatum, et illusos eos qui emendatum locum putant, gravissima indicia arguunt. nam *in praesentia*, quod germanice für jeţt verteris, ubique oppositum tempori mox insecuturo. cf. Caes. B. G. 1, 15: *suos a proelio continebat, ac satis habebat in praesentia hostem populationibus prohibere.* Liv. 6, 26: *pacem in praesentia, nec ita multo post civitatem etiam impetrarunt.* Tac. Agric. 39: *optimum in praesentia statuit reponere odium, donec impetus famae et favor*

*

exercitus languesceret. eadem vis finitimarum dictionum *in praesens* vel *ad praesens,* quarum usus frequentissimus apud Tacitum. cf. Ann. 15, 44: *repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat.* 16, 5: *unde tenuioribus statim irrogata supplicia, adversum illustres dissimulatum ad praesens et mox redditum odium.* hinc constat *libertatem non in praesentia laturos* eos esse, qui non nunc sed mox occassione data libertatem ut praemium laborum accepturi sunt. statuunt quidem, ut aptiorem sensum efficiant, *non in praesentia* hoc loco idem ac *non nunc demum* valere. at dum exempla vulgaris usus abundant, nemo hanc novam potestatem scriptorum auctoritatibus probavit. irriti et ii qui *non in praesens tantum sed in perpetuum* interpretandum censent. legimus quidem apud Livium 7, 37: *milites — duplici frumento in perpetuum, in praesentia singulis bubus — donati,* sed alia ratione *mox,* alia *in perpetuum* verbis *in praesentia* oppositum. alterum etiam omissum sponte intelligitur, alterum non infra simplicem futuri temporis notionem consistens, sed continuitatem tanquam speciem adiiciens, non magis ex sola oppositione coniectari potest quam in quindecim annos aut quaevis alia futuri temporis pars. elideretur insuper sententiae nervus, corrupta enumeratione eorum quibus Brigantes olim rebelles a Caledoniis bellum sumentibus superantur. illis Romanum servitium ac feminae imperium morae rebellionis. his patria virtus et incorruptum robur totidem victoriae adiumenta. at spes libertatis in perpetuum non propriis stimulis Caledonios incendebat: ab utrisque affectabatur, utrisque victoribus obtigisset. ostendunt Calgaci verba *exuere iugum potuere.* intenti in sententiam quaestionem de origine coniecturae adhuc omisimus. iam inquirentibus in incunabula nova dubitatio obiicitur. nam veteribus libris scriptum: *et in libertatem non in praesentiam laturi primo statim congressu unde ostendamus.* quae scriptura licet corrupta id tamen satis indicare videtur, acumen sententiae a scriptore quaesitum in oppositione *libertatis* et *praesentiae* seu quodcunque aliud verbum pro *praesentia* reducendum est. latuit hoc indicium Rhenanum, aut comperto uti non valuit. sententia ab ipso concinnata hoc ornamento caret.

a consensu reliquorum librorum solus Vaticanus 3429. abit. hic enim habet: *et libertatem non in poenitentiam laturi primo statim concursu ostendamus.* deleta *in* et *unde* ut turbida et importuna, *praesentia* autem in speciosiorem *poenitentiam* immutata, aperta correctoris manu quae plerisque locis hunc librum commaculavit. attamen capta compositarum turbarum imagine quorundam credulitas, incuriosique famae suae Calgacum loquentem faciunt: *nos semper libertate usi et eam hac pugna accepturi.* neque corriguntur ineptiae per additum *non nunc demum,* quo effugio usus est Lipsius, verba *non in praesentiam* in hunc sensum interpretatus. adscita *poenitentia* novas molestias parit, adeo priores non levat. quid vetus grammaticus sibi voluerit difficile est coniectatu, incerto quo sensu verbum *laturi* acceperit. cogitasse autem videtur de socordia Brigantum poenitentiaque ab ipsis acta. recentiores poenitentiam ad libertatem prius amissam trahunt interpretanturque: *non tanquam ipsos poeniteret libertatis prius amissae sicuti Brigantes.* at qui libertatem non tuituri aut servaturi, sed cum maxime accepturi sunt, ea antehac non usi sint necesse est. ergo servierunt, ergo habent poenitentiae materiam. cf. H 3, 19: *quodsi lucem opperiantur, iam pacem, iam preces et pro labore ac volneribus clementiam et gloriam, inania, laturos.* deinde quid haec vacuitas poenitentiae ad summam exhortationis prosit omnino non assequor. nam quod vacui poenitentia accipimus, id laeto vultu tranquillaque mente in usum nostrum convertimus, neque vero acrioribus stimulis ad id impetrandum incitamur. denique libidinis irreverentiaeque adversus grammatices praecepta manifesti sententiae auctores. quippe qui neglexerunt vim praepositionis *in* qua finis et consilium significatur. cf. H. 1, 89: *nam ex quo divus Augustus res Caesarum composuit, procul et in unius sollicitudinem aut decus populus Romanus bellaverat.* H. 4. 42: *sponte accusationem subisse iuvenis admodum, nec depellendi periculi sed in spem potentiae videbatur.* libido autem haec quod ad poenitentiam *servitium olim impositum* subaudiunt, nulla subauditionis excusatione. poenitentiam voti acceptaeque libertatis, non prius amissae intelligendam esse quivis sentit. nec minus apertum,

inanem esse sententiam in quam ex iusta interpretatione compellimur: et libertatem accepturi non quo mox nos eius poeniteat. nihil fructus ex percensendis variis aliorum coniecturis quarum maxima pars iis annumeranda quas pravo more lusus ingenii vocant. innixus meliorum librorum auctoritate ductusque indicio supra memorato emendo:

> *Brigantes femina duce — exuere iugum potuere. nos integri et indomiti, et libertatem non praesentia mala ulturi, primo statim congressu ostendamus quos sibi Caledonia viros seposuerit.*

Brigantes contumeliis victorum exacerbati suas iniurias ultum ibant, iusta quidem sed ipsis propria belli causa. maiora augustioraque nostrorum armorum initia. libertatis extremi fanique quo colitur incorrupti alumni ad ipsius sanctissimi numinis ultionem accingimur. quare primo statim congressu nos suscepto negotio pares dignosque deae ministerio ostendamus. vis ac veritas concinnitasque sententiae emendata verba Tacito vindicant. levia prae huius argumenti pondere quae insuper ad comparandam fidem ex scriptoris usu librorumque habitu afferre in promptu est. etenim *mala* de servitute tritum verbum. usus est Tacitus in hac ipsa Brigantum defectione c. 15: *Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre iniurias et interpretando accendere.* et Civilis apud primores Batavorum H. 4, 14: *iniurias et raptus et cetera servitii mala enumerat.* idem Gallorum civitates H. 4, 17: *secretis sermonibus admonebat malorum quae tot annis perpessi miseram servitutem falso pacem vocarent. praesentia* autem *mala* ut *praesentia bona* c. 3: *non tamen pigebit — testimonium praesentium bonorum composuisse.* sunt ea quibus utimur. cf. H. 1, 72: *quia pessimus quisque, diffidentia praesentium mutationem pavens, adversus publicum odium privatam gratiam praeparat.* H. 1, 78: *inter quae necessitate praesentium rerum et instantibus curis excusata — statuas Poppaeae per senatus consultum reposuit.* finitima sed non prorsus eadem sunt *instantia mala.* haec scilicet imminent et cum maxime urgent.

cf. H. 4, 38: *maesta et multiplici metu suspensa civitate, quae super instantia mala falsos pavores induerat.* *ulturi* iam Heumannus coniecerat. nec quidquam hac coniectura certius. idem verbum de iisdem servitutis malis iterum adhibitum oratione extrema c. 32: *ibi tributa et metalla et ceterae servientium poenae; quas in aeternum perferre aut statim ulcisci in hoc campo est.* et haec ultio libertatis haud diversa ab ultione cladis superiore anno acceptae, quam agitatam a Caledoniis supra memoravit scriptor. c. 29: *nam Britanni nihil fracti pugnae prioris eventu, et ultionem aut servitium exspectantes.* alia enim lex narrationis, aliud compositarum orationum consilium. in illa omnia ex rerum fide tradenda: in his ea conquirenda quibus auditores concilientur aut erigantur. his artis praeceptis obtemperans Tacitus humiliori nec pudore vacuae irarum causae violatum libertatis numen a Calgaco praetendi facit ita ut verbum ipsum *ulcisci* retineat sola causa ultionis in maius aucta. magnitudini denique susceptae ultionis par praemium patratae. c. 30: *quotiens caussas belli et necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est hodiernum diem consensum que vestrum initium libertatis totius Britanniae fore.* quod ad depravationem veterum librorum attinet alterum *in* ex *non* sponte natum videtur, alterum consulto a scriba in sententiae concinnitatem additum arbitror. verbo *unde* non minus molesto initio sententiae, quam si post *ulturi* transposueris, nulla apta sedes inveniri potest. putidum et *non* quod ex Danesii coniectura ab aliis acceptum non aspernatus est I. Bekkerus. quare delevi praeeunte Lipsio, Gronovio, aliis. et scatent Agricolae libri inanibus verbis. ex uno Vatic. 3429. haec exempla apposui: c. 4. *iisque ipsis virtutibus* — *iisque v.* c. 6. *inter praeturam quaesturam* — *inter q.* c. 19. *auctionem in aequalitatem* — *auctionem aequalitate.* c. 34. *novissime res et extremo* — *novissimi et extremo.* c. 38. *Britannique palantes mixtoque* — *Britanni palantes mixtoque.* c. 39. *ut Domitiano moris erat* — *ut Domitianus erat.* c. 43. *aut laetatus est aut statim oblitus est* — *a. l. e. a. s. o.* c. 43. *momenta ipsa deficientis* — *m. d.* c. 44. *speciosae non contigerant* — *s. c.* c. 45. *oculos suos iussitque* — *o. i.*

c. 45. ***robur a quo*** **— *r. q.* c. 45.** ***filiaeque eius praeter*** **— *f. p.* c. 45.** ***vultu complexuque non*** **— *v. complexu n.*** ***congressu*** **denique aut *concursu* scripseris sententiae nihil interest. servavi illud ut melioribus libris traditum.**
